



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Methodus Clara Et Facilis Vacandi Orationi mentali Atque Exercendi se cum fructu in præsentia Dei

Coloniæ Agrippinæ, 1687

5. De Regulis & exercitis Religionis

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46004](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46004)

quomodo gratiis cooperati fuerint divinis, familiarique consideraverimus, excitabimur.

1. Ad congaudendum de magna eorum felicitate.

2. Ad collaudandum Deum ob singulares, quas ipsis contulit, gratias, specialemque eorum electionem, ut in Ecclesia sua illos præ cæteris eximios efficeret.

3. Ad imploranda intercessionis eorum subsidia.

4. Ad imitandam virtutem, quæ amplius in ipsis reluxit, cujusque studium statui ac professioni nostræ amplius congruit.

Atque ad alios similes eliciendos affectus, quorum producendorum formulam omittimus, quia facile erit imitari præcedentes.

5. *De Regulis & Exercitiis
Religionis.*

CONSIDERANDO, illas esse ordinatas à Deo, contineri in illis media, quibus nos Deus vult salvare, maximi temper fuisse æstimatas, exactissimeque observatas à plurimis eximius nostri Ordinis Sanctis, qui earum observatione insignem sanctitatis apicem sunt consecuti, aliaque similia anima interiorius commovebitur.

1. Affectu existimationis ac magni respectus earum omnium in generali.

2. Gaudio, quod illas professa sit, quodque in iis medium inveniatur infallibile pertinendi ad omnimodam perfectionem & salutem.

3. Inviato proposito sollicitè ac fideliter observandi semper quamcumque earum, etiam
mini.

minimam, quia omnes æqualiter à Deo sunt ordinatæ, & illas qui negligit, in evidenti suæ salutis periculo constituitur, quia declinat à via, quâ ipsum Deus ad finem conducere beatum constituerat. Aliisque similibus affectibus, quorum actus conformiter ad supradictas formulas produci poterunt.

Quoad loca sacre Scripturæ ac sententias SS. Patrum, sicut in illis contentæ veritates similes non sunt, etiam differentes ex iis nasci solent affectus, quæ causa est, cur de illis in particulari determinatè nil dicere valeamus.

*Monitum
pro sen-
sentiis sa-
cra Scri-
ptura.*

6. De Beneficiis Divi- nis.

Anima, ubi consideraverit, quantum sit quodvis ex huiusmodi beneficiis, qua ratione ipsum nobis contulerit Deus ex mera sua infinita bonitate, idque eo fine, ut nos per hoc amplius ac strictius ad ei serviendum obligaret, & denique quâ in miseria versaremur, nisi isto fuisset beneficio affecti, anima, inquam, illa infallibiliter excitabitur

1. Ad huic benefactori suo humillimas toto cordis affectu agendas gratias.

2. Ad bonitatem hanc divinam adeo magnificam, adeoque erga nos, absque ullo suo emolumento, profusam totis viribus redamandam.

3. Consequenter proponet à se hoc beneficium, donum aut gratiam illius servitio penitus impendendam,

K 3

4. Ve-

*De
ratione*